

2.9782

R.36.919

POLYMNIA

SEV

PLVRES CANENS HYMNOS MVSA;

I N

HAC CVLTA, ET METRICA PANEGYRI;

Q V A M

IN D. FELICIANÆ GONCALEZ
DE BARCIA CARVALLIDO,

IMMATVRAM, SED NON IMPREPARATAM.
MORTEM,

FVNESTVM, SED VERE FAVSTVM
EXITVM,

LACHRIMABILEM, AT PIE FOELICEM
OBITVM,

ALIAS AD HOC CANORAS EXCITANS MVSAS
Concinnavit, Laboravit, Cecinit,

E T

D. IGNATIO GONZALEZ DE BARCIA
ET CARVALLIDO I. C. &c.

D. O. C.

D. FELICIANVS GILBERT ET CARBI
de Pifa Fernandez de Heredia.

BRVXELLIS, Ann. 1700.

~~2-19-587~~

Folio 234-14

SALVTA FELICIANAM

VERE CARNIS, ET SPIRITVS

VIRGINITATE

FOELICEM.

D. Hieronym. ad Paul. Urbic. de interpret.

Alphab. Hebr. tom. 3. fol. 65.

col. 1. linea 1.

FINEM ITA VIVENDI FECIT,

vt Beatissima quidem iure optimo, non

mori Prudentibus videretur, sed vitam

caducam, & fragilem, cum cœlesti,

& æterna re vera com-

mutare.

Euseb. Cæsar. in vit. Constant. lib. 3.

cap. 45.

*Non vi-vis adnexus amor, meminisse sepultos
desinit, & Funtos post pia fata colit.*

CL. V.

D. D. IGNATIO GONZALEZ
DE BARCIA ET CARVALLIDO,

OLIM

D. DIONYSII COMPLVTENSIS COLLEGII
Alumno,

HINC

APVD CLVNIAM (1) MALAGONEM,
Eliocrotam (2) & Cartaginem novam
Arbitriorum Iudici,

(1)
Vulgo Ciudad
Real.

MOX

(2)
Vulgo Lorca.

EIVSDEM CLVNIAE, ET BIVERII
Prætori digno,

PALANTINAE VRBIS, EIVSDEMQUE
Præfecturæ primò Proprætori
Inclyto;

POST MODVM IBIDEM, OB REGII
nominationem Confilij Prætori Optimo.

APVD ALCALAM REGIAM, LOXAM,
Alhamamque

TABELLARIORVM IVDICI
integerrimo.

AMALARITANÆ CIVITATIS (3)
IN GRANATENSI REGNO,

(3)
Vulgo Almeria.

ITEM VRBANO PRÆTORI
SOLERTISSIMO.

I. C.

IN HACQVE MATRITENSI CVRIA
REGIO ADVOCATO.

S. P. D.

D. FELICIANVS GILBERT ET CARBI
de Pisa Fernandez de Heredia.

Petr. Crinit. l. 2
Poemat. de fug.
ingr.

QVam rectè dixerit Crinitus inquires.

Ingratus est vitandus, vt dirum scelus:
Nil cogitari pestilentius potest,
Nec esse portentosus quicquam puto.

Publ. Syr. in
Mim. ex Eras-
mi Correct.

Et quam rectissimè Publius Mimographus, dum
inquit,

Dixeris maledicta cuncta cum ingratum hominem
dixeris.

M. Ant. Sabel.
lib. 7. exempl.
de Grati.

Solus diiudicabit, qui omnem ingratitude cul-
pam effugiet. Deus adsit, ne de tanto crimine
evincat. Vt ergo meæ erga te gratitudinis (lauda-
tissima omnium virtutum res est, Cœlo & homini-
bus iucunda, vt inquit Sabellicus) aliquod mi Ig-

nati, quod apud Orbem publicum extaret, & in æternum valiturum Monumentum, tibi, & dicarè, & offerrem, duplex mihi, & vtraque efficax in tuæ immaturo Amantissimæ Sororis exitu, prænotatur occasio. Prima, & ferè ex omni parte beata est, tuæque totiùs domus erga me, & meos singularis beneficentia, cuius explanatio quamvis ex ruditate mea repugnet, meæ dilectioni, vt apud omnes pateat, oportet. Nam

*Astra prius rutilo recident flammantia Cælo,
Et nitido flores Aethere figet humus;
Ante retro Lydi properabunt flumina Xanti,
Quam tanti esse, queam non memor Officij.*

Non hic Nobilissimi tui Sanguinis originem ex generosa, & antiquissima Familia Carvallido (& huic non imparibus, & in te vnitis de Barcia & Raudona) extractam referam, cū alij de illa honorifice sint locuti, & cum sis præcipuè ex illorum numero, qui cum Nasone asserunt.

*Qua non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.*

Prudenter animadvertens, & omnes vanitatis fumos eiciens, quod

Nobilitas sola est atque vnica virtus.

Sine illa enim,

Stemmata quid faciunt?

Quid faciunt? certè pereunt.

Perit omnis in illo

Gentis honos cuius laus est in origine sola.

Si tuæ Gentis enarrare cuperem Clarorum Virorū Gloriam, quos vel arma, vel litteræ illustrarunt, & mihi tempus, & Papyrus deficerent. Cum in hoc præsertim admodum brevi opusculo, plus esset (& hoc notabile) quod in epistola dedicanda, quam quod materia permittit, scribere compellerer.

Ta-

*Gratia Dei en
sus Metros.*

*Fr. Filip. de la
Gandar. arm. y
triumf. de Gal.*

l. 3. c. 19.

Sat. not. Ovid.

*Iuvenal. satir.
8. v. 20.*

*Iuvenal. satir.
8. v. 1.*

*Lucan ad Pi-
son. v. 10.*

Talia quidem non possum, nam & sensum, & cala-
mum rapit affectus erga eximium, & vndique vene-
randum Parentem tuum, vosque omnes ipsius filios.
Vndè si Patris, tui, tuorumque, & Fratrum, & Soro-
rum, ex tot tantisque circumstantijs, aliquam quæ
fidei erga vos meæ explicet excellentiam, edisse-
ram, contentus evadam.

Pater tuus D. Petrus Gonçalez de Barcia, magni
Nominis, apud Podalyrios, & Machaonas Vir, in
in hocque (vbi illorum Pater regnat Apollo, huius
filius præsidet Æsculapius, & qui vetustissimam Ar-
tem vltimè perfecit, Hypocrates habitat) Orbis
Emporio, non solum apud Eximium Philyridum
congressum, sed & Caroli II. Hisp. Reg. à cubiculo,
eximiè condecoratus exultat. Hic quidem in litte-
rarum Orbe Reipubl. sufficientia testimonia, quæ
quidem

Ovid. Metam.

15. in per orat.

ad v. 1.

— Nec Iovis ira, nec ignes,

Nec poterunt ferrum, nec edax abolere vetustas.

Et præstitit, & in æternum monumentum fundavit.

Hunc novit, quia fecit, & Bachalaureum, & Do-
ctorem, Salmanticensis inter Hispanas Celsior Aca-
demia. Varias, & Primæ, & Vesperarum Anatho-
miæ, & Philosophiæ Cathedras mirificè in dicta
Vniversitate moderavit; cuius prout publicè legit,
explicuitque, extant M. S. Tractatus, præcipuè ad
Artis Apollineæ Praxim per necessarij vtilisque.
Videlicet de Pulsibus, & Vrinis, de Simplicibus
Medicamentis, & Compositis, quibus Pharmaca
titulum fecit. Necnon, vt alios taceam, tres ipsius
servantur Tractatus Hispano scripti sermone, quo-
rum vni, de la Perfeccion del Hombre, alteri: Antidoro al
Monstruo horrible de Grecia, tertio: Certamen Medico-
Astrologico, nomina dedit. Sed de his, omni erudi-
tione, variaque doctrina refertis, nisi inter Chario-

res

*In his figura lov-
mitas.*

res Amicos (hæc est eius Modestia) nec loqui affo-
let. Vir egregiè Peritus, non de illorum grege de
quibus Autor quidam asserit,

Ignari Medici demit Medicina salutem,

Dum prodesse putat, semper obesse solet.

*Aut. lib. de Mo-
rib. Medicor.
cap. 1.*

Scit enim longa, & ætatis maturæ, & artis experien-
tia,

Quod natum Phæbus docuit, quod Chyron Achillen,

Quod didicere Olim Podalyrius atque Machaon

A Genitore suo.

*Marcel. Donat.
de re medica.*

Nec est de illorum ferie, qui (vt Sidonius ait) *illite-
ratissimis litteris vacant*; sed ex his quos meus Faustus
Andrelinus, & si rari sint, Apollineos, & quasi Deita-
tis honore dignos appellat,

*Sidon. lib. 4.
epist. 3.*

Clarus Apollinea Medicus, qui fulgeat arte

Extat adoranda ceu Deus alter ope.

Faust. in Hecat.

Vndè apte tanto Viro, quod Perisalvus Faustinus
de Medicina scripsit, dicere Conabor

Ap. Barthol.

Omnia aperta tibi, quidquid Medicina recondit;

Intima Natura, vel rerum pondera novis

Hypocrates fias, fiasque Machaone Maior,

Quas est Philyrides, vel quas Epidaurius herbas

Noveris, & quidquid prasagus novit Apollo,

Sis que salus Orbi, fas sit tibi ducere ab Orco

*Amant. in Med.
laud.*

Extinctos Homines, iterumque animare sepultos, &c.

Tu, tam Veri Partes Iudicis, in omnibus, mi clarissi-
me Ignatij, apud omnes egisti, tam nullo labefa-
ctatus palsionis affectu, vt à veritate in Iudicijs, ab
integritate in Negotijs, nunquam destiteris. Tan-
quam, qui non nescis, illius Celeberrimi Proverbij
inconcussam (Authore Tullio) veritatem dicentis:
Exiit Personam Iudicis, quisquis Amicum induit. Te ne-
que Amici respectus ad Dexteram, neque inimici,
(si quis forsan, quod absit, adest) odium ad sinistram
vnquam declinare potuerunt. Hoc, & ratio edocet;

&

*Toan. Saresber. & sic Saresberienſis ſcribit : Æquitas enim cui Index
in Polycratico, obſequium debet, odij ſiniſtram, aut Amoris dexteram neſcit.
lib. 5. cap. 12.* Tua enim in rebus Scientia, tua ad Præcautiones
ſubtilitas, tua in Negotijs humanitas, expertæ, in
illorum quos aſſignavimus locorum Populis, verè
& notæ manifeſtius apparent.

Primus poſt te, & inter Fratres ſecundus eſt D.
Alexander, qui non ſolum Juſtinianæi honoris diſ-
ciplinam adeptus, ſed & in illius Praxi plauſibile eſt
aſſecutus Præconium. Præfuit in Ocanienſi tractu,
Prætoris Perſonam agens; in omnibus Recti, Æqui,
Conſtantis, Veridici, & inflexibilis Iudicis encomiū
meruit; ſciens ex præallegato Carnutenſi Epifco-
po, *(ſingula ſingulis eſſe examinanda Iudictijs, & Paria me-
ritis præmia conferenda.)*

*Idem Saresber.
In Methalogic.
lib. 1. c. 2.*

Tertius eſt D. Andræas, cuius & ingenij ad bona-
rum literarum flores amœnitas, cuius & acuminis
ad Iuris interpretanda Penetrabilia ſubtilitas, varijs
hinc indè testimonijs enituit. Et quis is ſit in Iuriſ-
prudencia, cum aggreſſum opus (profecto utile, &
abundantiſſimum, iam Perfectum, citò puliendum,
& illicò Prælis mandandum) in quo Allegationibus
D. D. Alphonſi de Olea Additiones ſubiicit, quas
toto litterarum Orbis ornamento circumdatas per
pulivit, & pulchra vtriuſque Iuris Eruditione Va-
riegatas ornavit, perficiet, Mortales cognoſcent;
verè, vt ſpero

Monumentum Ære perennius.

*Horat. Carmin.
lib. 3. Od. ad
Melpom. 30.
v. 1.*

Quartus Frater eſt D. Petrus, celebris Ingenij ful-
gentiſſimus Iuvenis, Memoria ſecundus, & mirabi-
liter in omnibus litterarum generibus verſatus,
vtriuſque Iuris Profeſſor, & vt vos tres Prædicti, in
Matritenſi Advocatorum Gravifſimo Collegio
Cooptatus. Hunc inter & me, præter antiquam
amicitiam, aliud (vt in æternum perſiſtat) obſtri-

ctif.

Etissimum, & verè sacrum, vinculum extat. Vt Filius
 enim meus inter Mares Maior (& qui totum meæ
 dilectionis adimplet in Humanis assumptum) in
 Sacro Baptismatis fonte ablueretur, mecum, alte-
 rius veluti in Sacris Patris Personâ induens coopera-
 tus est, & effecit, sui que memoria Nominis, Nicolai,
 & Dionysij prioribus Nominibus Petri nomen est
 illi additum tertium. Huius etiam inter alia non
 pauca M. S. Volumina proprio elaborata Ingenio,
 extant in Symposij antiquissimi Poetæ perdifficilia
 Ænigmata, O quam erudita, Fœlicia, & Facilia Scho-
 lia! Et (ne ad propriam illius Profefsionem condu-
 centes, pertranseam Enuclationes) Celeberrimis
 Antonij Gometij ad L.L.T. Commentarijs, diffusa
 abundantes doctrina, Additiones Compegit inque
 hoc opere prout tempus concedit, infatigabilis
 infudat.

Hi vos quatuor estis,

— *Quorum est Concordia maior*

Gerionum fuerit quam prior illa tritum.

Quid de hac, cum & si in æternum èloquar, pauca
 dicam, dicere potero? Vna vniuscuiusque cum Pa-
 tre Mens; vna vnicuique cum vnoquoque anima.
 Nulla inter vos Iurgia disseminavit Discordia; Nul-
 las Rixarum diffensiones evomuit acerbitas. Quan-
 do inter vos illa quæ

Ira odium generat,

Est inventa? Et quando à vobis illa quæ semper

— *Concordia nutrit Amorem;*

Fuit femota? Non inter vos

Velle suum cuique est.

Apud vos omnes, quos vnitatis aurea dulcis, &
 amena

— *Concordia necesse.*

Semper & vbique

B. Anselmus
apud Ioan. Cho-
Kier in Thesau-
ro, lib. 3. c. 17.
fol. 189.
Pers. sat. 5.
v. 53.

Perf.eod.vers.

— Voto vivitur vno.

Nec ad hanc expellendam vnitatem erunt facultates occasio, quæ teste Chryologo: *Fraternitatem separant, cognationem spargunt, Parentum, & perdunt, & violant Charitatem.* Et vt ait Ioannes Casianus: *Fratres dirimit facultatum contentiosa diuisio.*

S.Petr.Chryso-
log. serm. 1.

Ioan. Casian.
collat. 24. c. 26.

Nam quamvis

— Rara est Concordia Fratrum.

Ovid. Metam.
1. v. 145.

Et teste Ouidio

— Fratrum quoque Gratta rara est.

Vos inter raros Pax dulcis invenit. Vos inter raros Certamina fugiunt. Verius inter vos, & modestius, quam inter illos nescio, cuius Sectæ Philosophos omnia communia apparent. Nec vos, illa *Meum, Tuum, Summ*, vtpote verba importantia Dominium, (vt ait, & probat Cardinalis Tuschus) & quæ tot domorum everfiones, tot locorum excidia, tot Imperiorum ruinas peperere, oppressos agnoscunt. Vos apud me dicite, quod de se ipsis, & Nestor, & Vlyffes, apud eximium inter Graiusatos vatem.

Diffusè probat
Card. Tusch. to.
5. concl. 59.

Homer. Odyss.

Haud vnquam neque Concio nos, neque Curia distis

Audit vit pugnare, animo, sed semper eodem,

Et sentire eadem, ac eadem discernere vidit.

Notatis enim Prudentij Monitum, & notatum servatis; inquit

— Cavete Viri ne sit sententia discors

Sensibus in vestris.

Prudentius de
fid. & conc. cõ-
munit. seu Pse-
chom. v. 758.

Quid de duabus, apud vos, Sororibus, D. D. Theresia, & D. D. Francisca, dicam? Sub earum enim vnoquoque decentissimo Vultu, apparere notamus

Propert. lib. 1.
Eleg. 4. v. 5.

Anthiopæ formam Nictæidos.

Quid de illarum in Musica dexteritate?

Sidon. Apol. Car
min. 23. v. 124

Musas non ita Musicas putares.

Harum vna quæque dum pulsatur simul, & canit,

Claud. in Entr.
lib. 2. v. 262.

Et voci digitos, oculos, & moribus aptat.

Ha-

Harum quælibet

Insonat erranti digito.

Illarum enim ad tactum, in Musica pulsanda est error digitorum, tanquam Astrorum est error in Sphæra, de quo quidam

— Certus in Astris

Error.

In earum utrâlibet

Formosam resonare Vides Amarillida Sylvas.

Hæ sunt enim, quæ modesto atrahunt veneno; quæ dulci inæbriant tóxico; quæ plausibili ènecant Aconito.

Quid de ipsarum Religiosa modestia? In Deum Cultu? In Patrem, Fratres, totamque Familiam, & pijsissima Charitate, & pietate Charissima? Verè in ea domo, & Angelorum Chorus apparet, & Campi prænotantur Elysiij. Cum illam aspicio, & Commemoratione Posteritatis, & Columellis, non caducis illis quidem, sed (vt cum Cæsariensi èloquar) immortalibus dignam assevero. Sed quid demoror, quin ad Propositum redeam? His duabus, & vobis quatuor, Soror nomine Felicianâ, fatis concedens,

Purpuream Æthereas Vitam dispergit in auras;

Pergit, & Elystias nuper adire Domos.

*Idem in Paneg.
Theodos. v. 316*

Ibid. v. 127.

Sat. not. Virg.

*Euseb. Cesar. de
vit. Constant.
l. 1. c. 1.*

de gallicantu?

Huius transitus, huiusque nomen extitit secunda occasio (cum iam de prima dixerimus) vt hoc opus efficerem, tibi que offerrem. Solet enim non esse ingrata Cognominum societas. Imò conciliat Amorem inter Homines, illa Nominum simultanea concurrentia. Ideò de Felicianâ moriente, aliquod, & de eius Virtutibus, in Funeribus præbeat testimonium, Felicianus superstes (ò in te Domine vivam!) qui in ipsius vita cognovit de testimonio Veritatem. Magna enim circa nomina, inquit Divinus ille

Plat. in Phileb. Plato, in Dijs etiam cadit affectio. De quo, & ius Civile non vnum edidit testimonium. Nam *in l. cum Filius, §. Pater, ff. de legat. 2.* loquens quidam cum filia, hæc ait: *Peto cum morieris, licet alios quoque filios susceperis, Sempronio Nepoti meo plus alijs tribuas, in honorem nominis mei.* Nepos enim ille, vt ibi annotat

Molin. de Hisp. primog. libr. 2. cap. 14. n. 3.

Accursius eodem nomine vocabatur, quo & Testator, quod & refert Molina. Necnon *in l. hoc iure, §. ultim. ff. de donation.* cuiusdam fit mentio, qui centum alteri sponderat, si iurasset se nomen illius laturum. Priscos item Romanos tertium adoptionis genus explicatos invenimus sub Nominis ferendi conditione, de quo latè inter alios D. Ant. Augustinus. Non enim in bona tantum, sed in Nomen, hæredes Testamentis adsciscebantur, iuvente eos Testatore Nomen suum ferre, quod patet *ex l. sed, & si, & ex l. facta, §. si sub nominis, ff. ad Trebell.* quo & respexit Cicero inquit: *Cum Basilium M. Satrium Sororis filium Nomen suum ferre voluisset eumque fecisset*

Augustin. de legib. tit. de leg. Iulia, de adult.

Tul. 3. Offic.

hæredem, &c. Hinc Suetonius de Octavij loquens Testamento, hæc inquit: *Hæredes instituit primos, Tiberrium ex parte dimidia, & sextante, Liviam ex parte tertia, quos & ferre Nomen suum iussit,*

Tranquil. in Octav. c. 101.

Ovidius de Augusto, hæc cecinit:

Ovid. Met. 15.

Inque futuri

*Temporis ætatem, venturorumque Nepotum
Prospiciens, Prolem Sancta de Coniuge natam
Ferre simul nomenque suum, curasque iubebit.*

Ibid.

Sicque idem Ovidius introducit Iovem, ad Venerem de Iulij Cæsaris Apotheosi ita loquentem

*Vt Deus accedat Cælo, Templisque colatur
In facies, natusque suus, qui Nominis hæres
Impositum feret vnus onus.*

Eutrop. Histor. Rom. l. 7. paul. post iuit.

Vbi Augustum significari patet ex his Eutropij Verbis: *Octavianus adolescens annos XVIII. natus, Cæsaris*
Ne-

Nepos, quem in testamento heredem reliquerat, & Nomen suum ferre iusserat. Sicque Dion. Caesar quod nullos liberos suscepisset; quodque tam in eo (C. Octavio sc.) magnam spem positam haberet; valdè eum diligebat, eiusque curam habebat, quippè quem Nominis sui, & pecunia heredem, ac Imperij successorem erat relicurus. Nec deest in Sac. litteris de hac Ceremonia suscitandi hæredes Defunctorum nomen clara veraxque notitia. Nam apud Ruth loquens Elimelech cum Booz, hæc ait: *Ruth Moabitidem debes accipere, ut suscites, Nomen Propinqui tui in hereditate sua.* Sed hæc lex prius à Mose fuit promulgata, quam & citat D. Matthæus. Vndè patet inesse quandam benevolentiam inter eos, qui eodem condecorantur nomine tum ex prædictis, tum ex eo (licèt serijs ludicra permiscere videar) quod à Roberto Montensi, Sigeberti Continuatore, ad ann. 1173. scriptum extat. Qui quidem de splendido loquens Convivio, & de ijs quos ad eum accersiverat Enricus II. Angliæ Rex, hæc ait: *Cum Vvilhelmus de S. Ioanne Procurator Normanniæ, & Vvilhelmus filius Hamonis, Seneschallus Britanniæ, Comederent in quadam Camera, prohibuerunt ne quis Miles comederet, qui non vocaretur Vvilhelmus, & eiecit alijs de Camera, remanserunt 110. milites, qui omnes vocabantur Vvilhelmi, exceptis alijs plurimis eiusdem nominis, qui comederunt in Aula cum Rege.*

Dion. lib. 45.

Ruth. 4.
Agelatum x. an. unig.

Deuter. 25.

Math. 22.

Sic Dido, quæ

Ardet Amans.

Et Pro Æneæ fuga, sibi imaginatione comprehensa

Caeco carpitur igne.

Non solum ex eo natum, sed & nominis ipsius cum Patris nomine desiderat; sic est falsa:

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset

Ante fugam soboles, si quis mihi Parvulus Aula

Luderet Æneas, qui te tamen ore referret,

Virg. 4. Æneid.

v. 101.

Idem 4. v. 2.

Ibidem.

Non

Non equidem omnino capta, aut deſſerta vidèrè. 71

Et hoc præcipuè cum nomen eſt pulchrum, benè ſuaviterque ſonans, quod ſi vendi poſſet, magno debere emi pretio, cū Ioan. Andræa, Felino, Abbate, Barboſa, & alijs comprobatur. Cum pulchrum, honeſtumque nomen, probitatis, honeſtatiſque indicium præferre tradant Authores, interque eos Bernard. Diaz, ibique Salcedo, pluresque alij, quos & allegat Cenedus, & refert Velafcus. Contra verò cum eſt ominofum inſuave, maleque ſonans; quod occaſionem dedit cuidam Pontifici Max. vt nomen *Os Porci*, quo appellabatur, in Sergij (ſi fides apud Platinā) honeſtius nomē permutaret; vndè Pontificibus muatandi mos in aſſumptionibus nomen. Hocque antiquitus obſervatum reperies, vt in Epidamni ad Dyrrachium (hodie teſte I. P. Olivario, *Durazo*) translatione, ſi Plinium, Melam, & Plautum Conſulas, & Maleventi in Beneventum tranſcurſu, ſi eundem videris Plinium. Sicque advertit quidam Iureconſultus, Parentes debere filijs ſuis nomina honeſta, & authoritatis imponere.

Quod autem *Feliciani* nomen, quo ambo inſignimur, ſit pulchrum, honeſtum, beneque ominofum, & pro alio minimè mutandum, patet ex euſdem Nominis Ethymo (ſeu originatione, vt Scaurus ait) quam aſſert Iacobus à Voragine, ſic inquiring: *Felicianus hoc eſt Felix anus, quod idem eſt, ac Felix ſenes.*

Cum igitur, & naturali Aſtrorum circa dierum denominationem concurſu, & regulari Martyrologij ſuper Sanctorum nominum impoſitionem progreſſu, idem ambobus ſit nomen inditum, nihil mirum ſi in hac ſimultanea in Nomine Concurrentia, præter illam, quam cum ea, & omnibus vobiſcum habui communicationem (& præter illa, vt tetigi

ve-

*Apud Auguſt.
Barb. locuplet.*

l. 12. cap. 16.

Axiom. 2.

*Diaz in praxi.
cap. 7.*

Salced. lit. A.

*Cened. in collet.
ad Decretal. 24*

num. 3.

*Velaſc. in Axio-
mat. v. Nomen,
ibique Dueñas.*

*B. Plat. in Ser-
gio 2.*

Plin. l. 3. c. 23.

Mela. l. 2. c. 3.

Plaut. Manech.

Plin. l. 3. c. 11.

Salicet. l. 1. C.

de Sum. Trinit.

ap. Molinam de

Hiſpan. primog.

l. 2. c. 14. n. 25

Scaurus.

vestra erga me beneficia, quæ quidem

Mihi semper erunt imis infixa medullis,
Et mare exuram prius, quam hæc exprimam.

— *Mihi si centum linguæ, sint ora que centum.*
Nec dignè, vt fas est potero

— *Centum licèt ora movens vox ferrea clames*
Centenosque sonos, humanum pectus anhelet.

Nec adhuc si mihi essent quot membra tot linguæ,
vt de quodam cecinit incertus Author

Tot linguæ, quot membra Viro, mirabilis ars est,
Qua facit articulos ore silente loqui.

Nihil ergo mirum inquam, si ita creverit meus
erga illam (quæ æternè vivit) amor; qui & rationalis,
& modestia imbutus modum, & novit, & tenuit.
Limpidus enim,

— *Sanctusque pudica*
Servat amicitia leges amor.

Dum crevit ergo amor, quid mirum si explicem, cū
si non explicarem, hoc mirum?

— *Quis enim bene cœlat amorem?*
Eminet indicio prodita flamma suo.

At in ipsius explicatione, titubante timore, magis
exæstuet affectus

Quoque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis.

Ideò ergo post illius Parentationem, Maniumque
requiem, tanquam posthumam Famam, & quasi Postliminij iure indivise continuam, has funebres,
(imò ob tantam innocentiam lætabiles) Panegyricas laudes compegi, & hos Variorum Hortorum
Canoros Flores Coacervavi, vt quam meis dignè
non poteram, aliorum Cantibus plenius concelebrem. Ingens enim sensibile, mi Colendissime Ignacij, impedit sensum. Nihil ergo mireris (Naturæ quandoque locus conceditur) si in tam extremi doloris impulsu, promptior mecum se vertat Melpomen,

Ovid. 1. Trist.
eleg. 4. v. 9.
Virg. 2. Georg.

Sedul. 1. 1. Operi
Pasch.


Stat. Pap. lib. 2.
Sylv. cui titul.
Surrent. Pollij,
circa finem.
Ovid. epist. 12.
v. 37.

Idem Metam. 4
in Pyram. &
Thib.

men, ad intimæ in Præcordijs Confictationis affectum, quam ad externæ in Carminibus explanationis ornatum. Quod potui, feci. At sicut aliorum lachrymas meus dolor exuperat, suppleatur (ob affectionem innatam) rustica ingenioli mei inconcinnitas, licèt (ob pulchram elegantiam) culta superemineat aliorum Ingeniorum amenitas. Valè, & tuum Felicianum, vt affoles, ama; te colentem dilige, te amantem redama; Ad Dominum, vt Foeliciter viuas, rogantem, ne sperne; tuæque Sororis metricam Parentationem exornantem, exaudi. Dat.

Matrit. non. Kal. August. anno

1699.



HVIC

H V I C

OPERI CONDVCENTIA MITTIT

HÆC CARMINA

AD LECTOREM.

D. FELICIANVS GILBERT ET CARBI
de Pisa Fernandez de Heredia.

Nobilium claras Vatum circumspecte Musas,
Qui quæstus fundunt, Lector amice, Pios.
Hic indistincto venit ordine Carminis Author;
Desine quem teneat quærere quisque locum.
En locus haud meritum discernit. Numinis ardor
Bellerophontæo dat loca prima Choro.
Agmina perveniant melici numerosa Caystri;
Maander doctas afferat amnis aquas.
Nec dicas, paucis completa est Pagina plectris;
Carmina, nam parvum parva volumen amat.
Quales, non quot sint, qui scribunt, respice Vates;
Perfectum haud numerus solus adimplet Opus.
Deprensâ est vacuis apud illum Pagina chartis,
Qui abiecta tumidum farcinat arte librum.
Sunt alij, subdes, quorum Vis maxima, & iret
Pagina Carminibus doctior ista suis:
At quæ quisque T^opis missit cudenda, relictis
Quæ defunt, Sophiâ Iudice, scripta legas.
Ex his repperies vix attamen omnibus vnum,
Quin clara Genium Sparferit arte suum.

- 1 Civilis reteggit Vigil hic nova iurgia Iuris,
Et sacri referat tecta reclusa Fori.
- 2 Hic Genesis seriem concinnat Nobilis; altos
Quosque dedit, lucet, Pronuba Thæda rogos.
- 3 Ille Valentinus latio canit ore Triumphos,
Et Res herò Carmine Aragonicas.
- 4 Hic Caroli grandi Res scribens Carmine Quinti
Hesperiam metrico personat ære Tubam.
- 5 Alter in alterius vergens se Climata Mundi,
Occiduum Hispano concinit ore Polum.
- 6 Hispanè Ignoti hic Mysteria Sacra Profundi
Cantat, datque novas, Victa Trophæa, Plagas.
- 7 Nec deest qui in Satyris Musisq; infudet opimis;
Illicò quas Prælis, plumbea plana dabit.
Hic Phœbo, Musisque Sacras, super Astra ferendas,
Præparat Ambrosias, dulcia dona, dapes.
Hic Aganippæas patrio Lare suscitât vndas,
Coelica, & vnguigenis Astra maritat aquis.
Denique, vel data iam, noviter vel danda per Orbẽ,
Quilibet Ingenij scit dare signa sui.
Hic si immaturo defuncta Puellula fato
Lugetur, melici quò cecidere Chori;
Attamen infontem celebrant pia Carmina vitam,
Lucida quæ pura sidera mente petit.
Pluribus à Musa titulum præfigimus Hymnis,
Quæ fertur clarum nomen habere suum.
Nec de Melpomene tragicos reboante Cothurnos,
Huic operi nomen condere posse reor.
Mæstitia hic complet communia Carmina dulcis,
Lætitia ambiguos hic dat amara Modos.
Ast ego tam doctos inter cantabo Poëtas?
Dum canit altus, iners perstrepet anser, Olor?
Sat fuerat varias me convenisse Camænas;
Cur ego prærauci Murmuris ore sonem?

Cornel. Schre-
vel. lexis. G. L.

Debueram vacuo, qui non nisi pangere possem
 Carmine, ad hoc plenas ritè ciere Lyras.
 An minus indocti fastidit Musa Poëtae,
 Altisoni Plectri, quam Lyra culta placet?
 Debuit opprimier potius vox aspera labro,
 Quam tot flamantes inter adesse Choros.
 Pauca dabo (dum pauca Typis do) tædia, Cura
 Hac, Pia sic infons Crimina culpa tegit.
 Quin aliquo ad Lapidè, tendam sine munere, Functã
 Qui tegit? huc vacuas non decet esse manus.
 Mercurij faxo sic nostro crescet Acervus,
 Pro Sacra Augustus quod prece mittit Amor.
 Foelicis poteram vitam scripsisse Cadentis;
 Sed claudunt nobis iussa modesta vias.
 Ne tardem doctos, brevis adsum Carmine; planis
 Ne quoque prælongis tam breve crescat opus.
 Forsitam Aonios Ætas ventura recessus
 Depromet, Musæ quos cecinere meæ.
 8 Sūt aliqua ad latium fudi quæ Carmina plectrũ;
 Efficit ad varios Pagina dicta Modos.
 9 Sunt alia Hispano fabrefacta volumina Versu,
 Quæ teneris recinens mens fabrefecit aquis.
 10 Sunt Fausti ad nostrũ, è numero cõversa Latino
 Carmina, quæ centum Disticha iure vocat.
 11 Et mihi non vllum, quod Pagina Sacra recondit
 Deest opus; hic *Domini* Gesta per agro *Boni*;
 Vulgari inscriptum linguà hoc opus offero; Sulcis
 Omnimodo hunc scindit Sermo solutus agrum;
Perfecti liber hic miniatur nomine *Patris*;
 Implicitum ingenuis artibus ibit opus.
 Non alia hic memoro, ne nomine culper inanni;
 Occludunt vultus ora modesta meos.
 Tædia Lectori non sunt tribuenda diserto;
 Lectorem teneat Nausea lenta pigrum.

Sed pudet in lucem trahier, cum lumine cerno,
Quàm tenet altisonans alta Theatra, Chelys.
Quæ tibi nunc mitto, pandent (quo cætera promã)
An placeat Genio nostra Camana tuo.
Nunc at ad innocuam vertatur Prora puellam;
Cu mque alijs, versus hos cape Amice meos.
Hos lege, & extincti deflens modulamina Cantus,
Affectus lauda quisquis es acta mei.





POLYMNIA.

PROGRAMMA.

D. Felicianus Gilbert de Piffa.

ANAGRAMMA.

Fides, Lyra, Cignus, & Apis Deli. *B. in l.*

EPIGRAMMA.

D. Francisci Bances Candamo.

SIve *Lyra*, aut *Fidibus* tentes cantare canoris;
Quomocumque velis, *Cignus* es, esque *Et Apis*.

Tu *Deli* citharas, recinis dum carmina *Deli*,

Arte moves, altas & trahis ore *Lyras*.

Dum *Fidibus* celebras cantus *Fœlicis*, & *Anna*,

Illam, *Fœlicem* vt te facit, ipse facis.

Illa *Lyras* plectro voci concordat, & altam

Tu calamo renovas, *Musa* canora, *Chelyn*.

Illa *Apis* in cantu prædulcia mella sonoro,

Tu in plectro *Cignus*, dulcia mella trahis.

Vnde *Lyra*, & *Fidibus* pretioso in culmine *Deli*

Estis in æternum *Cignus* vterque *Et Apis*.

Liquit vt illa *Fides*, vt iam *Lyra* plectra reliquit,

Occumbens *Deli* *Cignus* *Apis* que sacri:

Flecte *Fides*, & pange *Lyra*, tu, *Cignus* *Apis* que

Deli, per metricos dum celebrare modos.

IN DOMNÆ FELICIANÆ GONZALEZ;

miræ in musica dexteritatis puellæ mortem,


cuius elogia concinnat, & concinit

D. Felic. Gilb. de Pis.

D. Andrea Gonzalez de Barcia, I. C.

EPIGRAMMA:

O Fœlix iterumque sacro sub nomine Fœlix!
 Concedunt rebus Numina, dona, suis.
 Dum moreris cigni instar ovas, resonasq; triumphos,
 Te, & cignus Fœlix, qui canat, alter adest.
 O! spes Musarum tua mors inopina fefellit;
 Dulcisonum tacita constitit arte Melos.
 Sed Fœlix numeros melici gerit alter Oloris,
 Præparat & varias, te moriente, Lyras.
 Tu moriens vitam pleno bibis ore beatam,
 Ne desint meritis Præmia clara tuis.
 Sed tua mors canitur, morti est tua fama superstes:
 Vivat qui extinctas tam benè cantat Aves.



AD DILECTISSIMUM, DOCTISSIMUMQUE
Amicum D. Felicianum Gilbert & Carbi, &c. scriptis
illustrem, memoria illustriorem, probitate,
& nobilitate illustrissimum.

D. Petrus Paulus Billet Parisiensis.

Quæ plures alij scripserunt, scribere posses,
Et si tempus erit, tu quoque scripta dabis:
Exque datis etenim, fuerint & plurima nobis,
Nec celebranda minus, nec cupienda fatis.
Sed nisi tu dederis, non est tot scripta referre,
Quam dare posse manu, gloria credo minor.
Vixeris ut, quis enim, veteres iam dicat obisse,
Ore refers ut eos, menteque scripta tenes?
Nam si cuncta typis data forsitan igne peribunt,
Reddere tu valeas, auferat ignis ubi.



D.

D. IGNATIVS ALBERTVS,
INVITANS AD HVIVS OPERIS
lectionem,

OB D. FELICIANI GILBERT DE PISA
in eo Canentis, & Musam, & Zelum.

Ite ad Nectarei *Fruticantia Pascua Pisa;*
Est ibi Completus, divite fronde, frutex.
Ascraïs ibi sunt Christalla nitentia Lymphis;
Est ibi Pimplæus, dulcis odoris, Olor.
Dulcia sunt, & Apes fingentes mella sonoræ;
Preeft Pisa hic, verso nomine, dictus Apis. ❧

❧ Nota est Apum translatio ad Poëtas. Difusè M.
A. Muretus *in variar. lect. lib. 8. cap. 1.*



IN D. FELIC. GILB. DE PIS. FERN. DE HER.
Canentis, & aliorum Lyras excitantis laudem.

HOC ANONYMVS FACIEBAT

EPIGRAMMA.

Carmina dum Vatum, mi *Feliciane* diserte,
Dum Versus dulci concinis ore pios.
Serta Poëtarum varijs dum colligis hortis;
Temporibus tewis laurea ferta tuis.
Serta tibi tewis tantum durantia, quantum
Musæ Parnasi Culmina sacra colunt.

A DON FELICIANO GILBERT,
de Pisa Fernandez de Heredia.

DON ANTONIO DE NOLA.

SONETO.

DEl Monte triunfarà de la Poesia,
Y de vna, y otra Cumbre se harà Dueño,
Quien lograre con facil desemeño,
Del Latin, y el Vulgar dulce harmonia.

Este, que à quien de la alta Gerarquia
Mide la estancia, con gentil diseño
Delinea, y canta, y aun al mismo empeño
A que otros la celebren mueve, y guia:

Logre el Lauro este Autor por soberano,
Pues ni vn apice falta à la precisa
Ley del Verso Latino, y Castellano:

Porque si he de dezir la verdad lisa,
Sabe el camino bien *Don Feliciano*,
Y mira mejor que otros donde *Pisa*:



D


DE

DE DON PEDRO SCOTIA
de Agoiz.

DEZIMAS.

PIntò à Jano con maduro
Juizio la Mythologia
Bifronte, porque sabia
Lo passado, y lo futuro:
De Feliciano en el duro
Trance, este libro es, no en vano,
De su nombre nuevo Jano,
Pues pronostica sus glorias
Quando acuerda sus memorias:
Obra en fin de Feliz-Jano.

Es natural el morir,
En quien nació à ser mortal;
Luego es sobrenatural
Eternamente el vivir;
Feliciano, en mi sentir,
Restituye con su zelo
De Feliciano el desvelo,
En este Libro, en que fundo,
Que nos la eterniza al Mundo,
Ya que nos la lleva el Cielo.



A LA TEMPRANA MVERTE
de Doña Feliciana Gonçalez de Barcia,
cuyas prendas , y memorias celebra Don
Feliciano Gilbert de Pifa Fernan-
dez de Heredia.

DE DON JOSEPH IGNACIO
*de Barberà, Capitan de una de las Compa-
ñias de Cavallos del Reyno de
Valencia.*

SONETO.

SOberano portento , en quien lo hermoso
Para Imán les sobró à los coraçones,
De quien discretas solo admiraciones
Aplauso deben ser mas primoroso.

Gima del Pindo acento numeroso
De tu tierna Deidad las privaciones;
Mas no gima, recuerde perfecciones,
Que al Coro Ethereo aumentan lo armonioso;

Dudoso en resolverse el pensamiento
Entre el gozo vacila, y el quebranto,
Compitiendo la voz con el lamento;

Mas de Don Feliciano el dulce llanto
Desempeñar oy fabe tal intento
Con la triste delicia de su canto.

FELICIANVS HOC EST FOELIX ANVS,
 quod idem est, ac Felix Senes.
 Iacob. à Vorag.

ALABASE EL GALLARDO MODO
 de componer de Don Feliciano, dandose à entender
 con facilidad armonica, con bien cultivadas, pero
 perceptibles Frases, como se vè en estas lagrimas, y
 otras obras suyas; contra algunos, que preciados de
 Criticos, y Cultos, sin tener en su cultura fon-
 do, aun lo mismo que escriven, no lo
 entienden.

DE D. DIEGO CARLOS DE ALMENARA;
afecto del Autor.

S O N E T O.

MAs que tu edad; tu Ciencia, y tus costumbres
 Te hazen, ò Feliciano! venerable,
 Cauſando con embidia bien notable,
 Que sobre el Monte Delfico te encumbres.
 Tres vezes son en ti los Versos lumbres;
 Vna en la claridad inimitable;
 Otra en que à la que huyò de este Orbe instable;
 Hachas son mientras buela à Ethereas cumbres:
 Mas sobre todo lumbres son brillantes,
 Que esplendores ostentan de dulçura,
 Y de valor, por claros, de diamantes:
 Y aviendo quien afecte Lyra obscura
 A mil Criticos notas, que ignorantes,
 Por lo afectado pierden la hermosura,

A DON FELICIANO GILBERT
y Carbi de Pifa, &c.

DE DON FRANCISCO

Carvero.

DEZIMA.

Eternamente acredita
Don Feliciano sus glorias,
Quando funda estas memorias,
A quien la luz Cloto quita:
A immortal aplauso excita
Los Cisnes del Mançanares,
Haziendo que familiares
Por la que murió, y su pluma,
Erijan sonora espuma
Al culto de sus Altares.



Fr.

Fr. FRANCISCI DE LARA,
Hieron. Ordin. Monach.

E C O G L A,

S I V E

SERMOCINATIO DIALOGICA.

ARGUMENTVM.

DVÆ NYMPHÆ SORORES ALTERNATIM
(sub Fœlissæ persona) Fœlicianæ Gonçalez & Barcia
immaturam mortem deplorant, describuntque illius
Epitaphion, ac Apotheòsin, & divinos illi
decernunt honores.

FOELISA.

Francelis. Terefilis.

A Vrilegus qua Mança vagis spatiatur arenis,
Matritique solum ridentibus abluit vndis,
Altera Francelis, Terefilis, & altera Nimphæ,
Vna Chelym pulsans, pulsans Chelys altera Chordas,
Flere paratæ ambæ, atque ambæ cantare peritæ
(Nos amor vrget aquis epicoedia mœsta Sororis
Rumpere Fœlissæ, quam mors ad acinacis ictum
Abstulit, & nobis ferus omnibus intulit ictus,
Dum sua vix florens tria lustra expleverat ætas)
Seu cadit Hesperijs, seu Sol novus exit Eois
Terque quaterque die (nos hic dolor arctibus vrget)
Et magis, atque magis, noctuque, dieque dolentes,

Per-

Perque agros, perque omne nemus, perque in via, perque
 Compita spirantes, non iam vitalia cantu
 Carmina lætifico, verùm Lethalia mersæ
 Murmura Fœlissæ, querulis concentibus vrgent.
Franc. Nonne vides, vt Mançæ fluat lutulentus? vt ipsæ
 Plus solito mœstæ reboent ad littora Nymphæ
 Antea lætantes, & iam fera fata gementes?
 Vt quibus irriguis duo lumina flumina fiant?
 Vt fluat his auctus lachrymarum cursibus annis?
 Vt super intonsum ferali cortice truncum
 Bubulet horrendum funesto carmine Bubo,
 Carmine tristitiæ augurio? Sylvasque per omnes,
 Nec dumeta pecus rodât, nec flumina guffer?
 Cantus vbique iacet, crepitat singultus vbique,
 Nil nisi triste sonat, nil iam nisi triste resultat.
Teres. Nil mirum si cunçta fleant, si cunçta gemiscant,
 Stamina, cum Lachesis, tredecim, quæ neverat, annos,
 Forficibus duris truculentior Atropos ocat,
 Fœlissæ, & Thalamum tumulo demergit in alto,
 Lætitiâ mergens, & Letho corda sub vrgens.
 Ah Libitina ferox! Lernœa infestior hydra,
 Durior Hircanis, diris magis impia monstris,
 Siste, precor, fera Parca, feris immânius ipsis,
 Siste, precor, diram Fœlissæ in faucibus securim;
 Non te, ò crudelis, Fœlissæ harmonia faucis
 Flexit, & auratis cordis tua corda revinxit?
 Si Amphion potuit suspendere saxa canendo,
 Si valuit modulando supra Delphinas Arion,
 Si potuit Manes arcessere coniugis Orpheus
 Treicia fretus Cythara, fidibusque canoris
 Evincire feras, rabidosque iugare Leonès,
 Cur, Libitina ferox, non te Fœlissa canendo
 Flexit, & evicit? non vicit Ariona cantu,
 Vicit, & Orpheum, modulisque Amphiona vicit?
Fran. Quis dubitet? cunçtos vicit Fœlissa canentes:

Vicit, & Eoliden, & amicum Creteâ Musis,
 Vicit, & insignem cantu Dorcèa fluenti,
 Vicit, & Hermogenem, Glaphyrumq; & Echiona vicit,
 Vicit Anaxenorum, Hipparchiona, Aristona, Lafum,
 Tellona, Demodocum, Piladen, Nonomacha, & ipfas,
 Quas Helicon residente sonat sub Apolline Musas,
 Dexteritate valens, omnes modulamine vicit.

Teres. Cur, heu! victa iacet? *Franc.* Nâ fors inimica triûphat;
 Livida, perfida, lurida, tetrica, terribilis fors,
 Invida pignoribus semper, temeraria semper.

Teres. Tam nimis in modulis erat invidiosa facultas,
 Quam Foeliffa suâ primâ dabat arte iuventâ?

Franc. Invidiosa nimis, quantum nec dextera Sapho,
 Lamia, nec dulcis, nec Parthenopeia canora,
 Ligia, Felcipe, Leucoria, Pisno, nec Agle,
 Nec multa ex alijs, quas vox sirenica signat,
 Delibunda darent tam dulcia pocula vobis,
 Quam Foeliffa dabat minimo de nectare succo.

Teres. Heu! Foeliffa, tuum doluit, flevitque Matritum
 Interitum, flevit Pindus, defluxit amaras
 Castalis in lachrymas, Aganippidos vnda refluxit,
 Tespia deflevit, deflevit Pympla, Cytheron
 Ploravit Lymphis, tua cum Chrystallina morte
 Guttura clausa vident, (suadentia guttura somnos)
 Omnis Lympha fluit lachrymis, Nympha affluit omnis;
 In fluctusque liquet: quis talia fata videndo
 Temperet à lachrymis? Quis iam sine voce canora,
 Quis sine concentu, vel quis sine murmure dolci,
 Vel sine Foeliffa, cantu non flevit amaro?

Franc. Heu misera! Ignarâ, moreris, me ad fata propinquâ;
 Nec potui infelix digitis tua lumina blandis
 Condere, supremumque vale pereuntis ab ore
 Sumere Olorinas imitantia cantica voces,
 Nec tecum in patrio memet mandare sepulchro:
 (O Carpentani, regalis Mantua quondam,

Curia nunc, populo populus praestantior omni,
 Qui vestro in tumulo decus hoc, & pignus amoris
 Servatis, longos hic spes tua, Barcia in annos,
 Et Carvallidæ non vltima gloria Gentis,
 Iam iam stincta iacet, sed non extincta doloris
 Vulnura, quæ fixis extant rediviva medullis.)

Teres. Prospera cum teneræ nebant tibi stamina Parcæ,
 Fataque dulcisonos flavant tibi dextera cantus,
 Vidi ego te Æthereis dulcem sociare Choreis,
 Te patriæ fines, & dulcia linquere prata:
 Vidi ego, & his oculis abeuntem te insequor vdis,
 His oculis, his, inquam, oculis, quos post tua fata,
 Foelissa, haud oculos, proprii nomine dicam
 Flumina, arenosum *Mança* erumpentia *narem*.

Franc. Ergo agite, ò oculi, lachrymis erumpite iam iam,
 Flumina si iuversi properum itis rumpere cursum.
